

# **POEMAS EN LATÍN**

**Garcilaso de la Vega**

***Freeditorial*** 

# I

## AD THYLESIUM

Uxore, natis, fratribus, et solo  
exul relictis, frigida per loca  
mussarum alumnus, barbarorum  
ferre superbiam et insolentes  
mores coactus, iam didici, invia  
per saxa, voces ingeminantia  
fletusque, sub rauco querelas  
murmure Danubii levare.

O nate tristem sollicitudine  
lenire mentem et rebus atrociter  
urgentibus fulcire amici  
pectoris docte manu, Thylesi,  
iam, iam sonantem Delius admovet,  
dexter tacentem barbiton antea:  
cantare Sebethi suadent  
ad vaga flumina cursitantes  
nymphae; iam amatis moenibus inclyte  
non urbis, amnis quam Tagus aureo  
nodare nexu gestit, ultra  
me lacerat modum amor furentem;  
sirenum amoena iam patria iuvat  
cultoque pulchra Parthenope solo,  
iuxtaque manes considere  
vel potius cineres, Maronis.  
Aegro deorum quis tulerit rogas  
herbis repostis, auxilium potens

mentisque consternationem  
cantibus et fidibus levarit:  
idem sonanti ciu vaga flumina  
sistunt, silentes margine vortices  
ventosque narratur frementes  
per nemora ardua conquiesce.  
Hic nam revinxit me tibi vinculo  
gratis Camoenae quod mihi nexibus  
texere, praelargus; quid ultra  
me miserum potuit iuvare?  
Imbrem beatis nubibus aureum  
vivaque talum compede candidum  
nexam puellam coniungemque  
languidulis oculis querentem,  
carmen canentis sic animum rapit  
mentemque ut omnes subiaceant graves  
curae et labores evolenque  
aliger his super elevatus.  
Te, mi Thylesi, te comite obtulit  
sese parentis quem veneror loco,  
cui dulce pignus nostri amoris  
non animum pigeat patere:  
arcana divum dum reserat, novus  
huic pectus alte sollicitat furor,  
curare seu mortalium res  
coelicolas grave sive monstrat  
natos parentum crimina ob impia  
vexari, ut, auras carpere dum licet,  
nec luxui ipsi indulgeant, nec  
poena parentibus ulla desit.  
Haec aure cuncti praecipue imbibunt

alte silentes et Marius meus  
rerumque multarum refertus  
atque memor Placitus bonarum.  
Honesta cunctos hinc domus accipit  
liberque sermo nascitur, haud tamen  
impune, nam si tortuosis  
nexibus implicitum quid audes  
suadere, sperans ingeniosius  
quam verius nos pertrahere ad tuum  
sensum statim aggressa est cohors te,  
ut ciconum irruit in canentem.  
Num tu fluentem divitiis Tagum,  
num prata gyris uvida roscidis  
mutare me insanum putabas,  
dulcibus immemoremque amicis?

**II**  
**AD GENESIUM**  
**SEPULVEDAM**

Arcum quando adeo relligionis et  
saevae militiae ducere longius,  
ut curvata coire  
inter se capita haud negent,  
uni musa tibi, docte Sepulveda,  
concessit: pariter dicere et Africam  
incumbit pavitantem  
sub rege intrepido et pio,  
qui insigni maculis vectus equo citos  
pravertit rapidus densa per agmina  
ventus, fervidus hastam  
laetalem quatiens manu;  
dat cui non aliter turba locum leves  
quam flammis stipulae per nemus aridum  
aut coelum per apertum  
ventis dant nebulae vagis.  
Pugnas perpetuo dum trepidos agit  
giro, saevus uti Massylias leo  
per silvas, Nomadasve  
imbellis agitat feras,  
suspirant timido pectore turribus  
ex altis aciem lata per aequora  
campi tendere suetae,  
sponsae nuper amoribus

orbatae: Heu!, iuvenes, Caesaris, inquiunt,  
vitate imparibus viribus armaque  
congressusque nefandos.

Quando nomina posteris  
mater caesa dedit, dum puerum student  
languentem eruere e visceribus, genus  
hinc est caesarum, hinc est  
gaudens caede nova. Putas  
saevum funere limine qui pedem  
ad vitam imposuit, non ferat indidem  
ingeneretque furem  
et caedis calidae sitim?

### III

## SEDES AD CYPRIAS VENUS

Sedes ad cyprias Venus,  
cui centum redolent usque calentia  
thure altaria sacro,  
sertis vincta comas, nuda agitans choros  
gaudebat, cum puer appulit,  
depromptis iaculis e pharetra aureis,  
depromptis quoque plumbeis,  
queis terras violens subdit et aequora,  
queis coeleste sibi genus.

Tum mater, miserans terrigenum simul  
divorumque vicem, prior  
demulcens leviter caesariem auream  
melliti pueri, incipit:  
Heu!, nate, usque adeo flagitiis eris  
istis insatiabilis,  
non tantum ut miserum perditum eas genus  
humanum, excrucians modis  
indignis homines, verum etiam in deos  
ausis stringere spicula?

Impulsu altitonans saepe tuo induit  
quam turpem deo imaginem!

Nunc taurus nivea conspicuus nota  
frontem, caetera candidus,  
imber nunc liquido virgineum aureus  
fluxu per gremium micat.

Lunam per tacitum saepe silentium

saxis sub Iove latmiis  
sopiti rapidis ignibus exscitam  
coeli culmine devocas.  
Cessare ad Clymemem crinigerum facis  
Phoebum, qui quasi negligens  
terris officium solvere debitum,  
auriga est habitus piger.  
In me si sceleris quid meditabere  
matrem, ut mos tibi, perfide, est,  
non aegre aut graviter perpetiar modo  
figas nequitiae modum.  
Sed quid, cum dominam figere Dindymi  
laetaris tibi vis, puer?  
Longeva atque parens pene deum omnium  
cum sit, nec iodo idonea,  
illam caecus eo perpulit at furor.  
Attyn perdite ut arserit.  
Cumque ignes penitus viscera permeent,  
iunctis vecta leonibus  
Idae per nemorum saxa virentium  
fertur; quam volitans cohors  
recta consequitur parsque micantibus  
palmis tympana verberat  
ingentique sonat voce nemus virens  
cuncorumque simul fera  
insanum rabies pectus agit. Proin

mater cuncta timens (omen inane sit!)  
tristi discrucior metu,

ne forte Cybele, si resipiscat aut  
haec pergit potius suo  
insanire modo, saeva leonibus  
te natum tenerum imperet  
se coram ut lacerent namque erit aut sui  
vindex aut animi impotens.

Praesenti esto animo, mater, ait puer,  
nec te sollicitet metus,  
mitescunt adeo namque mihi feri  
isti, quos metuis, juba ut  
prensa ritu equitis non trepide insidens  
tergis hos agitem vagus,  
caudis incipiunt, auribus et mihi  
adblandirier interim,  
dumque ori digitos, dumque manum insero,  
reddunt innocuam mihi.

Postremo quid ego pecco tibi, aut aliis  
cum res sedulus offero  
pulcras ante oculos monstrosque lucidis  
pictas usque coloribus?

Vos iam desinite aut appetere omnia haec  
aut sic obicere id mihi.

Num vis, mater, uti, Mars tuus haud te amet  
posthac? nec redames eum?

Natus sum atque potens; impera et obsequar.  
Nulla ut non superans, pues,  
in re es, quim celebri bile etiam tumes,  
nostro haud subtrahe te, puer,  
amplexu; peto nil praeter id amplius.

## IV

# AD FERDINANDUM DE ACUÑA, EPIGRAMMA

Dum Reges, Fernande, canis, dum Caesaris altam  
progeniem nostri, claraque facta ducum,  
dum Hispana memoras fractas sub cuspide gentes,  
obstupuere homines, obstupuere Dei:  
extollensque caput sacri de vertice Pindi  
Calliope blandis vocibus haec retulit;  
Macte, puer, gemina praecinctus tempora lauro,  
qui nova nunc Martis gloria solus eras;  
hec tibi dat Bacchusque pater, dat Phoebus Apollo,  
Nympharumque leves Castalidumque chori,  
ut quos divino celebrasti carmine Reges,  
teque simul curva qui canis arma lyra,  
saepe legant, laudent, celebrent post fata Nepotes:  
nullaque perpetuo nox fuget atra dies.

